

1. Herm. von der Hardt Ephemerides
philologicae 1703.

2. Joh. Christ. Iringij excitationes
XVIII in pentateuchum M. et librum
Iesue 1683.

3. Joh. Mussei diff. de libertate philoso-
phandi 1674.

4. Joh. Gezelij questiones theologiciae
in conventu synodali Livoniæ

5. Christ. Mascovij diff. De quid Deus ante mundum
ne quid Deus ante mundum
conditum fecerit. 1612.

DISPUTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS,

11.

ANTIQUATIONE VET. TEST.^{De}

Ex Heb. IIX. v. 13.

Quam,

DIVINO NUMINE ADJUVANTE,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO atq; EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,
DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,
REGNI PRUSSIÆ ET ELECTORATUS
BRANDENBURGICI HÆREDE, &c. &c. &c.
EX DECRETO VENERANDÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ,
SUB PRÆSIDIO

DOMINI
BERNHARDI VON SANDEN,

S. Th. D. & Prof. Prim. Facult. Theol. Senior. & p. t. Decani, S. R. M. in
Prussiâ Concion. Aulic. Prim. & Consiliarii Consist. Sambiens.

PRO GRADU DOCTORATUS
SUMMISQVE IN THEOLOGIA PRIVILEGIIS
ET HONORIBUS

ritè & legitimè conseqvendis
publico Eruditorum Examini subicit

M. HENRICUS SEDER

S. Theol. Prof. Extraord. design.

IN AUDITORIO MAXIMO,

Ad diem Januar. Horis ante- & pomerid. A. MDCCX.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS
IN SUMMO BORUSSIÆ REGIMINE
CONSILIARIIS ACTUALIBUS INTIMIS
ILLUSTRISSIMIS ET EXCELLENTISSIMIS
DOMINIS,
DN. CHRISTOPHORO, COMITI
à Wallenrodt/

Supremo Curiae Provincialis Magistro, & Ordinis Prussici Equiti,
Hæreditario Domino in Pachollen / Preckelwisch / Altstadt / Wilsinen /
Jrgelacken / &c. &c.

DN. CHRISTOPHORO ALEXAN-
DRO à Rauschken/

Supremo Burggrabio, ac Prussici Ordinis Equiti,
Hæreditario Domino in Eisernwagen / Kirschnehen / Nadrau / &c. &c.

DN. GEORGIO FRIDERICO à Krenken/

Supremo Cancellario, Feudorum Directori, Summi Tribunalis
Præsidi, Prussiciq; Ordinis Equiti,
Hæreditario Domino in Wreslinen / Poren / Wesselskoven / &c. &c.

DN. FRIDERICO WILHELMO
à Kaniz/

Supremo Mareschallo,
Hæreditario Domino in Podangen / Lomp / Rosenau / Maulstrichen &c. &c.
DOMINIS SUIS GRATIOSISSIMIS,

Disputationem hanc, in publicum gratitudinis &
devotissimi cultus testimonium, cum calidis-
simo intemeratae valetudinis ac omnigenæ
prosperitatis voto humillime consecrat

M. HENRICUS LIEDERE

Npriori parte Capitis octavi Epist. ad Hebreos ostenditur, quā ratione, Salvator noster, Christus, quoad Personam & tabernaculum, sit Pontifex, Leviticis præstantior: in posteriori verò demonstratur hujus Pontificis præstantia etiam respectu foederis seu Testamenti. Hoc planum redditur testimonio, petito ex cap. XXXI. Jeremiæ, apud quem Dominus vers. 31. seqv. sic fatur: *Ecce dies (sunt) venientes dictum Domini: quibus pangam cum domo Israelis, & cum domo Iudeæ fœdus novum. Non sicut fœdus, quod pepigi cum Patribus eorum, quo die apprehendi manum eorum ad educendum eos è terrâ Egypti &c.* Ex hōc testimonio præminentia N. T. præ V. stabilitur, primum ratione violatio-
nis vers. 9. & 10. Vetus siquidem irritum redditum fuit ab Israëlitis: Novum non item: ideoque dicitur DEum fasti-
divisse & neglexisse domum Israël, novumque fœdus deter-
minatō tempore pangendum promisisse. Porro præemi-
nentia ista adstruitur ratione effectus. Nam V. T. homines
ingratis reddidit ob inobedientiam vers. 9. Novum au-
tem facit DEO gratos & acceptos per fidem in Christum, quæ
tantæ est efficacæ, ut qualisunque vitæ inchoatio DEO
placeat, siquidem DEus condonat ipsorum iniquitatibus, nec
peccata ac iniquitatem ipsorum in memoriam revocat vers.
12. Deinde ratione perfectioris cognitionis. Non docebit
unus alterum dicens: agnosce Dominum: nam omnes sci-
ent me à minore usque ad majorem eorum. Tandem illa-
probatur ex duratione hoc modo: Quod manet, est nobi-
lius eō, quod evanescit. At vetus pactum succedente novō,
evanescere & abrogari debuit, Ergo ignobilius est vetus,

A

novum

novum verò præstantius & illustrius. Vid. Baldvinus & Hunnius in Comment. in h. l. Et hoc ultimum v. 13. ex verbis Jeremias concluditur hāc ratione: Εν τοι λέγεται καρκίνη πεπαλάσσων τὴν πράτην τὸ ἡ παλαιόμενον καὶ γηραῖον ἐγγύς ἀφανῆς.

§. II.

In his verbis sermonem institui de V. T. omni dubitatione caret. Hoc enim indicatur solo adjectivo πεπάλην prius absque Substantivo. Sicut enim alias à Scriptoribus S. utriusque Testamenti quandoque adjectivum tantum exprimitur substantivō commodè subintellectō, uti variis exemplis Glassius lib. III. Tract. I. Can. XII. Phil. S. & nos ex illō hisce duobus rem clariorem reddimus. Nimirum quando Jerem. XXX. 14. dicitur. Cum plagā inimici percussero te, castigatione אָכְרֵי crudelis subintelligenda vox inimici annoante Kimchio in h. l. מַסְרֵ אָכְרֵ שִׁמְךָ וּמִסְרֵ בְּאֲכְרֹות מַסְרֵ castigatione hominis savi, qui percutit & castigat in saevie castigationis. Sic quando Luc. XIV. 18. legitur Et cœperunt δύο μῆτρες, se excusare omnes, δύο μῆτρες ab una, adjectivum exprimitur subintellectō substantivō vel γυνήν vel φωνήν vel βεβλήν; unā sententiā, unā voce, unō consiliō (et si enim isti aliquantulum diversas causas adferunt, tamen in eō convenienter omnes, quod sua negotia prætexunt, ne ad coenam adsint) vel juxta Füllerum lib. I. Miscel. Sacr. c. i. δύο μῆτρες scil. δύο ex unā horā h. e. continuo, statim: Ita & hic in nostro loco πεπάλην adjectivum solummodo adducitur, & substantivum αὐθίκην ex antecedentibus subintelligitur. Hoc autem substantivum, non vero σωμῆν, subintelligendum esse, apparet, tum ex totā argumentationis serie, tum ex collatione cum versu ultimo superioris capititis. Hoc substantivum à LXX. Interpretibus, loco vocis בְּרִית adhībitum,

bitum, etiam in hoc capite Epist. ad. Hebr. & alibi à Scriptis sacris, qui LXX. Seniores seqvuntur, retinetur; quenquam alii v. g. Aquila, Symachus, observante Hieronymo, per συνήμην, vocem, hebraico סְנִיר propriè & magis respondentem, reddiderint. Per V. autem Testamentum, non intelliguntur libri Canonici & Apocryphi V. T., neque promissiones Evangelicæ, quæ passim in libris V. T. consignatae reperiuntur, sed partim rigor legis moralis, absque virtute præstandi ea, partim signa illa foedoris, quæ ex decreto DEi certò definito que tempore cessare debebant, qualia erant Sacra menta V. T., partim etiam sacrificia, ritus & ceremoniæ, quæ erant typi & umbræ Christi.

§. III.

Huic V. T. in nostris verbis tribuitur τὸ παπλάσιων, quod Vulgata reddidit veteravit. Valla in Criticis S. in h.l. notat, melius per antiquavit verti. *Ego, inquit, dixissem antiquavit primum; Non modo quia veterare in sensum passivum nescio an reperiatur, ut nunc accipendum est, sed etiam quia idem verbum est, quod illud sequens, quod antiquatur & senescit prope interitum est.* Jac. Cappellus interpretatur per declaravit prius esse vetus. Erasmus per antiquavit sive fecit antiquum. De antiquatione V. T. Spiritum S. loqui nullum est dubium. Unde verbis τὸ παπλάσιων γρεζτον ἐγγὺς αὐτοῦ, B. Gerhard. in Comment. in h.l. addit: *Ex antiquatione prioris Testamenti abrogationem ejusdem infert.* Cappellus vero m. c. hæc habet: *Cum DEus pollicetur, se veteri fidere subrogaturum novum, hoc ipso docet, se prius illud antiquaturum & abrogaturum.* De hac antiquatione notetur dictum Chrysostom. quod reperitur orat. III. contra Judæos Tom. V. Opp *Contra, nos sumus qui maximè legem veneramur, qui eam velut hominem senio defecatum quiescere sinimus, nec in caveas ho-*

4

minum differtas protrahimus posse aquam incanuit, neque præter etatem certare compellimus. Hujus antiquationis Autorem, DEUM, constitui posse Witsius Tract. de Oecon. fœd. DFi cum Homin. lib. III. c. III. §. XXIX. ex nōstro hoc loco probat, scribens: *Quando quidem tria hæc Lex, promissio, comminatio, universam fœderis naturam, prout à DEo proponitur, absolvunt. Si tria illa firma semper talo stant, confici exinde videtur, hominem pro sua quidem parte fœdus violasse, sed à parte DEi nullam fœderis antiquationem esse factam Attamen rebenè perpensa, antiquatio aliqua etiam à parte DEi agnoscenda est.* Ea invictè concluditur ex substitutione N. T. gratia. Ita enim nos argumentare docuit Apostolus Heb. IIX 13. Dicendo novum, antiquavit prius. *Quamvis enim antiquatio Veteris, non necessario dicat substitutionem Novi, tamen substitutio Novi certo importat antiquationem Veteris, Christum quoq; antiquare posse legem Chrysost. Hom. XX, in c. VII. Mat. monstrat dum dicit: Omnis doct̄or est servus legis, quia neque supra legem addere potest aliquid de suo sensu, neque subtrahere aliquid secundum proprium intellectum, sed hoc tantummodo predicit, quod habetur in lege. Nec enim potest mens humana directare, i. e. extra rectum facere, scil. perversum vel malum ostendere, quod sapientia divina dicitur avit.* Sic etiam ait Moses & Salomon: Non ad das verbis DEi, neque detrahias inde. *Qui autem hoc ausus fuerit facere se sapientiorem putat esse, quam DEum, & incipit esse falsus testis, quia illud dicit, quod nec auris audivit, nec oculus vidit.* Christus autem Dominus Legis est, & subtrahere potest de lege, quod propter necessitatem temporis ius sit: *Utputa propter duritatem cordis jussum fuerat dare libellum repudii.* Dominus illud quasi potestatem habens subduxit dicens: *Quod DEus conjunxit homo non separaret.* Idem inculcat Hom. V. in Marcum & quidem sequentibus verbis: *Nemo audet mutare legem, nisi qui & ipse Rex est.* Legem autem Pater dedit an Filius? Responde heretice: *Quicquid*

quid volueris, libenter adsumo : utrumque pro me est. Si Pater dedit & immutat : Filius ergo aequalis est, qui immutat cum illo, quid dedit. Si autem ipse dedit, aut ipse mutat, aequalis autoritatis est & dedisse & mutasse, quod nemo potest facere, nisi Rex. Est quidem foedus DEI, ex parte ipsius fidum, constans firmum ratum immobile. Psalm. XXCIX. 29. In aeternum servabo illi misericordiam meam & foedus meum stabile erit illi. Psalm. CXI. 9. Redemptionem misit populo suo, praecepit in aeternum foedus suum. confer. Eccl. LIV. 10 in illud intuetur Psalm. LXXXIV. 20. illiusque recordatur & non oblitiscitur Gen. IX. 15. 16. confer. Deut. IV. 31. Psalm. CV. 8. & CVI. 45. Luc. I. 72. &c. Sed haec omnia intelligenda sunt, non de cœconomia veteri foederis gratiae, quæ hic antiquata dicitur, sed de foedere gratiae, quod etiam DEUS interdum irritum facit propter peccata populi Zach. XI. 10. sequ. Sumpsi pedum meum svaritatem, & concidi illud, ad rumpendum foedus meum, quod pepigeram cum omnibus populis. Itaque ruptum est in die illo. Promiserat DEUS Israelitis, se non facturum irritum foedus suum, Jud. II. 1. nempe si se obedientes præbuerint vers. 9. Levit. XXVI. Servatenim foedus & præstat illud, sed erga eos, qui ipsum diligunt & colunt Deut. VII. 9. 12. & IIX. 23. 1. Reg. IIX. 23. Psalm. XXV 14. Dan. IX. 4. Neque prohibet antiquationem hanc DEO tribuere, DEI immutabilitas. Nam DEUS non ideo mutatur, quia aliquid mutatur extra DEUM. Immutabili siquidem decretò DEUS voluit, ut lex ita mutaretur & modus colendi DEUM. Quando quis legem fert certò tempore, loco statuque duraturam numne quis dixerit Legislatoris voluntatem, desinente lege, mutatam esse? minimè. Nam sicut Medicus pro ratione valetudinis diætam præscribens, pri mò parcā, postea firmorem ; aut Magister captui discentis se accommodans, à doctrinâ levi & fa-

cili incipit , & inde demum ad altiora progredivit, inconstantis animi accusari nequeunt : *Sic DEus, uti liceat verbis Augustini, quæ, postquam iisdem similitudinibus rem declarasset epist. V. ad Marcellinum, habet, novit, quid temporis accommodate adhibeat, quid quando impertiat, addat, afferat, detrahatur, augeat, minuatur, immutabilis mutabilium, sicut creator ita moderator ; donec universi seculi pulchritudo, cuius particulae sunt, quæ suis quibusve temporibus apta sunt, velut magnum carmen cuiusdam modulationis excurrat.* Hoc simili de Medico utitur quoque Joseph Albo diff. III. Ikkarim c. XIII hanc faciens applicationem : *כִּי עַל וְהַדָּרֶךְ אֵינוֹ חֲסִיר בַּחַק הַשְׁׂוֹא אָם לֹא נָתַן בְּתַחְלַה תּוֹרָה וְהַנְּהָרָה מִסְפְּקָת לְכָל הַמְנִיס וְהָ כִּי הוֹתֵךְ כִּשְׁנַת הַתּוֹרָה יְדֻ שְׁוֹהָרָנָגָה הַחַיָּה תִּסְפִּיק עַד הַזָּמָן שְׁשִׁעָרָה חַכְמָתוֹ שִׁסְפִּיק לְהַכְּנִין הַמְכְלִים וְלִתְקֹן טְבָעָם אֶל שְׁקָכָל הַהֲנָגָה הַשְׁנִית אַעֲפָ שְׁלָא נְלָדוּ לְאָרוֹת וְכִשְׁנִיעַ זָמָן וְזָהָה בְּהַנְּהָרָה הַשְׁנִית וְאֶפְאָם יְשַׁנֵּה רְבָרִים הַפְּקָרָה הַהֲנָגָה הַרְאָשׁוֹנוֹת כִּי היה מסודר אֶצְלָו בְּחַולְלָה : *Sic pari ratione non est defectus in sententia DEI Benedicti quod ab initio non dedit legem & regulam sufficientem omni tempore ; idque quia, cum daret legem, novit eam regulam sufficientem futuram usque ad tempus, quod sapientia ejus definiverat, ut sufficeret ad preparandum recipientes & ad disponendum eorum naturam, ut suscipiant alteram vivendi regulam, etiam si illud non revelaret homini : & cum appropinqua verit tempus, ut præcipiat alteram vivendi regulam, etiam si res mutet in contrarium priori consuetudini, ita penes ipsum ab initio constitutum fuit.* Homo DEI mandatum abrogans aut spernens est reus violatae Majestatis divinæ, quia tenetur*

DEO

DEO jubenti parere : DEus vero cum suum aliquid mandatum abrogat, non laedit propterea Majestatem suam, quia non sibi sed homini legem illam tulerat. Vid. Jac. Cappell. in Criticis Sacris ad vers. 18. cap. VII. epist. ad Hebr.

§. IV.

Quænam vero DEus per introductionem N. T. antiquavit? Non tantum ea, quæ à Mose primum sunt jussa, sed & quæ longè ante Mosem viguerunt, nimirum sacrificia & circumcisionem. Testimonium clarum petimus ex cap. IX, 15. epist. ad Hebræos, ubi dicitur: Propter hoc N. T. mediator est, ut morte facta in redemptionem transgressionum, quæ sub priori Testamento commissæ sunt, promissionem accipiant, qui vocati sunt ad æternam hereditatem. Jam vero quia morte Christi expiatæ sunt transgressiones, non eorum modo fidelium, qui tempore Mosis vixerunt, sed & antiquissimorum Patrum, haud multo post lapsum primi hominis, ita ad eorum quoque tempus prius testamentum pertinet. Fæderis Evangelici dua fuerunt constitutiones, quas Apostolus επολας vocat. Prior est typica, altera est spiritualis. Typica constitutionis delineatio quedam cœpit haud multo post Adamic lapsum & promissionem seminis satanae regnum eversuri. Jam tum enim videmus sacrificia quedam, ac eam ob causam distinctionem inter animantia munda, sacrificiis apta, & immunda, qua DEO sacrificare nefas esset. Sed neque nobis satis constat, uti nec nobis sane necesse est, quo usque progressa fuerit hec delineatio, & quicunque fuit illius progressus ante nativitatem Abrahæ, deinceps incrementa magna cœpit, donec Mosis, certe Salomonis temporibus velut ad colophonem perduceretur. Omnium istorum typiorum rituum exploitio & accumulatio cum suo Sacerdotio consideratur ab Apostolo velut unicum mandatum, propter unitatem finis ac intrinsecæ formæ, quod hec omnia nihil aliud essent,

quam

quam adumbrationes cœlestium beneficiorum præstantioris Sacerdotis virtute consequendorum, inquit Jac. Cappellus in Comment. ad cap. VII. 18. epist. ad Hebr. A Mose iussæ sunt Leges Ceremoniales & istæ abrogatæ sunt. Non liberè sed verè de his suo tempore dixit Hieronymus: *Ego libera voce pronuntio, ceremonias Iudeorum & pernicioſas esse & mortiferas Christianis, & quicunque eas obſervaverit, ſive ex gentibus ſive ex Iudeis, cum in barathrum diaboli devolvi.* Vid. Tom. II. Opp. p. 33. nec non Augustinus Epift. XIX. Tom. II. Opp. *Nunc quisquis Christianorum, quamvis sit ex Iudeis, ſimiliter ea celebrare voluerit, tanquam ſopitos Synagogæ cineres eruens, non erit pius deductor vel bajulus corporis, ſed impius ſepulturæ violator.*

S. V.

Ex Historia S. fatis conſtat, Israelitas in Ægypto viventes lethalem ſuperftitionis Ægyptiacæ ſuccum imbibiffe atque ad Idololatriam maximè pronos fuiffe. Huic igitur morbo benignum Numen, quod pro more ſuo ſua omnia pro varia temporum conditione ad humani generis commodum invovo-ue administrat, atque infirmitati cuivis generationi medetur, ſicut Chrysostomus in Psalm. CIX. loquitur; medelam allaturus, inter alia remedia nullum efficacius adhibere potuit Lege Ceremoniali, per quam ſimul infirmitati illorum, qui externâ ſpecie aliarum gentium, numina ſua magnō rituum apparatu & varietate colementium offendebantur, admirabili confiliō & benignitate οὐναταβάψαι voluit. Deum, non ex primâ ſuâ intentione, omnem iſtum Ceremoniarum apparatus, præſcripsisse, non obſcurum eſt colligere ex eō, quando per Prophetas docet, ſe non delectari viſtimis & holocaustis, quam obedientiā voci ſuæ præſtitâ 1. Sam. XV. 22. & Eſ. I. II. ait Dominus: *ad quid mibi multitudo ſacrificiorum veftrorum, ſatur ſum holocaustorum ex arictibus & adipis pin- givum*

gvium & sanguinem juvencorum , agnorum & hircorum nolui ;
cum venitis videre faciem meam , quis hac requisiuit de manibus
vestris ? scil . principaliter & per te intenta . Non enim DE-
us locutum se esse dicit Israelitis de holocaustis & viðimis ,
neque eadem præcepisse die exitus ex Ægypto , sed saltem
verbum hoc : Audite vocem meam , & ero vobis in DEum , &
eritis mihi in populum , Jer . VII . 22 . 23 . Atque hoc respectu cere-
monias Judæorum , precepta non bona , & judicia , per que non
vivent , vocat apud Ezech . XX . 25 . Non dixit DEU se dedisse il-
lis precepta mala , sed non bona , neque enim virtum edocebant ,
neq; virtutis per se erant efficientia . ait Theodoretus in h . l .
DEum , post exitum ex Ægypto , primo decem tantum man-
data Israelitis tradidisse , neque ullam mentionem fecisse cul-
tus , tot operosis ceremoniis præstandi , sed tum demum in-
gens illud legum onus imposuisse , cum foedus de DEO vero
colendo violassent & irritum fecissent per μοχολατείαν istam ,
Ægyptiorum more institutam , testis est Hieronymus in cap .
XX . Ezech . hæc ratione scribens , Ante offensam , per vitu-
lum , decalogum tantum acceperunt Israelite , post idolatriam
vero & blasphemiam , multiplices legis ceremonias . Hinc for-
san Apostolus de lege rituali loquitur , tanquam mantissa quâ-
dam , & re , præter expectationem , promissis & antiquis DEi
institutis , additâ , cum ait : ὁ νόμος τὸν θρησκευτικὸν χάρακν
περιέτι , Gal . III . 19 . Quem locū sic illustrat Theophylactus :
Scite autem illud περιέτι , addita vel apposita est , dixit , ut indicet
legem non esse precipue ac primò consilio datam , quemadmodum
promissiones ; sed veluti obiter additam , ob multas transgresio-
nes , ut aliquot saltem cohiberet . Notanter quoque ait verf . 23 .
τὸν νόμον ἐφερεθεῖα συνκεκλεψεῖοι , h . e . poenarum formidi-
ne & præceptorum angustiâ , tanquam murō quôdam con-
clusi

clusi tenebamur, ne ad profanos gentium ritus prolabemur.

§. VI.

Atque hoc fuisse circa ritus hosce consilium Legislatoris summi, afferunt DD. Ecclesiae. Justinus Martyr in dialogo cum Tryphone p. 44. Edit. Paris. hæc, de institutione ceremoniarum judaicarum, habet verba : *Sub Mōsē, improba & ingrata in D̄Eum vestra gens apparuit, in deserto vitulum conflans, unde D̄Eus d̄p̄oq̄d̄p̄Ḡ accommodans s̄e illi populo, etiam victimas offerre tanquam nomini suo precepit, ne idola coleretis.* Irenæus lib. IV. advers. hæres. c. 28. 29. sic loquitur : *D̄Eus primum quidem per naturalia precepta, quæ ab initio infixa dedit hominibus, admonens eos, i. e. per decalogum, nihil plus ab eis exquisivit* - - At ubi conversi sunt in vituli factionem & reversi sunt animis in Egyptum, servi pro liberis cupientes esse, aptam concupiscentie sua acceperunt reliquam servitutem, à D̄EO quidem non absindendam, in servitutis autem jugo dominantem eis. Tertullianus quoque lib. II. adv. Marcionem hoc attestatur : *Sacrificiorum onera, inquit, & operationum & oblationum negotias si rapulostates nemo reprehendat, quasi D̄Eus talia sibi propriè desideraverit, quia tam manifestè exclamat, quo mihi multitudine sacrificiorum vestrorum? Et quis exquisivit ista de manibus vestris? Sed illam D̄Ei industriam sentiat, qua populum pronum in idolatriam & transgressionem, ejusmodi officiis religionei sua voluit adstringere, quibus superstitione seculi agebatur, ut ab ea avocaret illos, sibi jubens fieri quasi desideranti, ne simulacris faciendis delinqueret.* His accedant Eusebii verba : *Mōsis lex ingressa est, quasi puerilum imperfectarum, animarum curatrix quadam & gubernatrix, aut etiam instar Medici cuiusdam universæ Iudaorum nationi, grari Egyptiaco morbo labo-*

B 2

laboranti, tradita est. Nam quia cum Ägyptiis versantes post
sanctorum PP. mortem, ad morum Ägyptiacorum similitudinem,
allecti erant & ad multorum DEorum superstitionem deciderant,
adeo quidem ut Ägyptiis per omnia similes, tum in errore simula-
chorum, tum in aliis quoque facinoribus evassisse videntur;
merito quasi ex profundo malorum ipsos hauriens Moses, ab impia,
Deorum multitudine amovit & ad Opificem Universi DEum redu-
xit: primum illum gradum pietatis in preceptis legalibus, tan-
quam tot vestibulis & introductionibus ad perfectione prestruens.
Eadem tradit Theodoretus Cur. Græc. Affect. Serm. VII.
Tom. IV. Opp. p. 584. Israelem longinquum tempus in Ägypto
versatum, pravisque indigenarum moribus imbutum, & idolis ac
demonibus immolare ab illis edoctum & ludis choreisque ac musicis
organis oblectari, harum rerum in habitu constitutum liberare vo-
lens, sacrificare quidem permisit, non tamen omnia sacrificare, ne-
que falsis Ägyptiorum Diis, sed sibi soli Ägyptiorum Deos offerri.
- Ne indignarentur tanquam à moribus illis penitus exclusi.
- Sapientissimus Medicus hoc remedii genus adhibuit Ägyptie
egritudini, ut sacrificare quidem propter sacrificantium imbecilli-
tatem indulgeret, ea autem, que ab illis colebantur, immolare
jubret, ut sacrificando disserent, Deos non esse que tanquam
victime mactarentur. Consentient & reliqui Hieronymus,
Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, quo-
rum testimonia brevitatis ergo non adducimus, sed quia no-
bis cum Judæis in hoc negotio quam maximè res est lubet ad-
huc afferre in medium testimonium Maimonidis, qui, judi-
cantibus Judæis, alter iste Moses est. Hoc in librō Moreh
Nebhochim part. III. c. 32 p. m. 432, ita sonat: Ustanta tum in
mundo confuetudo erat, cui omnes assueri, & cultus universalis,
in quo omnes erant educati, ut varie animalium species in Tempis
illis,

illis, in quibus imagines collocabant, offerrentur, coram illis pre-
cumberetur, & adoleretur; certi insuper quidam essent cultores
sequestrati quasi & ad cultum istum destinati, qui in Templis illis,
in honorem Solis, Lune reliquarumque Stellarum exstructis, exer-
cebatur, sicuti ostendimus: ideoque noluit Sapientia & Providen-
tia DEi, que in omnibus ejus creaturis lucet, mandare, ut cultus
illi omnes derelinquantur aut aboleantur. Hujus enim rei cor hu-
manum, quod perpetuo ad id inclinat, cui est affuetum, natura-
liter non fuisse capax. Propter hanc itaque causam retinuit Deus
adhuc cultus, eosque à rebus creatis & phantasmatis, que nullam
veritatem habent, ad Nomen suum venerandum translit, &
praecepit nobis, ut illas exhibeamus ipse. - - - Consilium au-
tem in hac divinâ Sapientiâ fuit, ut memoria idololatria delectetur,
& fundamentum illud magnum de existentia & unitate DEI in-
gente nostra confirmetur, nec tamen animi hominum propter cul-
tuum illorum abolitionem, quibus affueti erunt, obſupſcerent,
vel alios cultus ſcirent. Quemadmodum ergo Deus illos deduxit
à viâ rectâ, que principaliter fuit intenta, propter timorem rei
alicujus, quam secundum naturam suam non poterant portare,
in viam aliam, ut pervenirent ad intentionem primam: ita prae-
cepit Deus ista præcepta, propter timorem rei illius, quam anima-
nostra naturaliter portare non poterat, ad Intentionem primam
afequendam, apprehensionem videlicet DEI Opt. Max. & dere-
lictionem idololatriæ. Ex omnibus haec tenus adductis liquet
quò fine Leges ceremonialis Israelitis à DEO latè fuerint scil.
ob gentis hujus imbecillitatem, & ad depellendam pestem
principiè idololatriæ. Cessante igitur fine cessabit & ratio
finis. Atque cum Israelita ex ipsis transgressionibus atque
prævaricationibus tempore & adventu Messiae emergere de-
berent,

berent, eosdem sub Pædagogo hoece amplius detineri,
æquum non est.

§. VII.

Hanc Legum ceremonialium antiquationem DEus etiam prædixit, dum Novi foederis fecit promissionem. Nam Ezech. XVI. 60. seqq. hæc habentur verba: *Et recordabor ego fæderis mei tecum initi temporibus pueritiae tuae, & erigam tibi fædus æternum. Et recordaberis viarum tuarum, & confundebaris cum accipies sorores tuas majores te, ad minoreste: & dabo tibi eas in filias & non ex fædere tuo. Sed præstabo ego fædus meum erga te & agnoscet me esse Dominum.* Quid DEus hâc promissione aliud indicat, quam Samaritanos & Gentiles, cum Judæis in uno coetu vicieros, non quidem ita ut observent ea, quæ fœdere veteri præcepta sunt, sed actiones vitæ instituant secundum novum, quod dari non poterat, nisi prius oblitteraretur. Huc pertinet locus Deut. XIIIX. 18. *Prophetam exciabo illis ē medio fratum illorum, sicut te, daboq. verba mea in os ejus, ut loqvatur ad eos omne, quod præcepere illi.* De Messia in hoc loco agi Christiani sunt certissimi, quia divinum Petrum Art. III. 22. - 26. horum verborum infallibilem habent interpretem. Unde etiam Ecclesiæ Christianæ Doctores locum de Christō interpretati sunt. Cyprianus lib. I. Testimoniorū ad Qvirinum adv. Judæos, in eo occupatus ut ostendat Mosen de Christo scripsisse dictum hoc adducit. Hieron. lib. I. Comment. in Lament. Jerem. c. 2. dum verba, Non est Lex, & Prophetæ ejus non invenerunt visionem à Dominò, considerat, ait: *Hoc describit sermo propheticus, quod destruet a Hierusalem terrena, imo Synagogam Judæorum, atq. Propheta jam non sicut in illa, sed nec Legem inviolatam habeant, negat visionem & Prophetiam à Dominò mereantur habere, qui ipsum*

verum Legislatorum, & Dominum Prophetarum presentia liter ad se venientem recipere deditabuntur. Ipse enim est finis legis ad iustitiam omni credenti, verusq; Propheta paternam & suam annuncians voluntatem; de quo Moses olim Israëlis ait: Propheta tuus vobis suscitabit Dominus &c. Judæos communiter quoq; concedere, de nullo alio, quam de Messia, Mosen instituere sermonem, B. Wagenseilius in telis igneis satanæ p. m. 548, refert & addit; nec disfiteri Judæos, id, quod iis indicatur, videlicet Messiam Mose nulla ratione futurum inferiorem, quin & prærogativam ei concedere, agnoscentes, Mosen non alio, quam servii (vide Num. 12.7.) sed Messiam ipsius Filii nomine Psalm. II, 7. insigniri; & tandem infert: Quæcum ita se habeant, quidam licuerit Meſſie, Mosis exemplo, novas leges promulgare, & olim de rebus indifferentibus latas, commutare cum melioribus? Atq; hoc tanto minus absurdum Judeis videri debet, quoniam cuique Propheta illud potestatis tribuunt, ut necessitate ita flagitante, pro tempore, legibus Mosaicis adversum quid facere, aliisq; faciendum precipere possit. Maimonides Hilchoth Jesode Thorah c. IX. §. 3.

אם יאמר לנו חנכיא שנורע לנו שהוא כביכול על עכבר על אחרין מכל מצות האמורות בתורה או על מצות הרבה בין קלות בין חמירות לפי שעה מצוין לשימוש לו; וכן למוט מחקמים ראשונים מפני השם עבך אמר לך חנכיא עברך על ובריו תורה כאלויך בהר היכל שמע לו חז' מערכות: Id est: si dicat nobis Propheta, de quo constat eum verum esse Prophetam, violandum esse aliquod ex quibuscum præceptis que in lege dicuntur, aut violanda esse complura sive levia, sive gravia illa fuerint, ad tempus aliquod, tum jubemur ei obtemperare, & sic auditione à prisca sapientibus

17

bus didicimus, quocunq; casu tibi dicat Propheta, viola verba, Legis, ceu Elias fecerat in monte Carmel, more mei gerito, una excepta idololatria. Quodsi igitur qui buscunque Prophetis promiscue fas est, ad tempus aliquod Mosaicis legibus contraria agere, & agenda imperare, debet propterea amplior facultas Messie competere, quatenus ipsum Mosen, qui אָרוּן הַנְבִיאִים Dominus Prophetarum, Judaeis vulgo audit, dignitate longe est superatus.

§. IIX.

De hac abrogatione Ceremoniarum Leviticarum clarissimum testimonium est destructio TEMPLI Hierosolymitani. Quia enim juxta mandatum DEI Deut. XII. 5. seqq. sacrificia, aliique ritus Levitici non nisi in certò & designatò loco, vel in tabernaculo, vel in Templō peragenda erant, utique destructio tabernaculi & templi, Sacrificiorum & aliarum ceremoniarum Leviticarum abrogationem evidenter arguit. Unde cum Judaeos, ut refert Chrysostomus, Julianus adhortaretur, ut sacrificarent prisco more, ei hoc responsum dederunt: εἰ βάλεις ἡμᾶς Ἰουντραὶ ιδεῖν, αὐτὸς ἡμῖν τὴν πόλιν, αἰάτησον ἡμῶν τὰ iερά, καὶ θύσιαθε καὶ νῦν καθαπερ ωέπεγ. Si vis nos sacrificantes videre, reddene nobis urbem, reædifica templum nostrum, tum sacrificabimus & nunc sicut antea. Benè Irenæus Lib. IV. c. 7. Quemadmodum stipula & sarmenta non propter se principaliter facta sunt, sed propter crescentem in eis fructum, quo maturo facto, & ablatio, derelinquuntur & è medio auferuntur, que jam non sunt utilia ad fructificationem: sic & Hierosolyma, que jugum in se servitutis portaverat, in quo dominus est homo, qui antea non subiectabatur DEO, cum mors regnabat, & dominus habilis factus est ad libertatem, adveniente fructu libertatis & aucto & demesso. & in

16

*& in horreum apportatis ab ea his, qui fructificare possunt, & in
omni mundo disseminatis -- merito derelicta est & de medio ab-
lata.* Hanc veritatem suis effatis corroborant Judæi: Joseph
Albo, Maimonidis sententiam de immutabilitate legis ex-
pendens, diss. III. Jkkarim c. 13, fatetur ea loca, quibus
inductus Maimonides, statuit legem mutari non posse;
צרכוין עיון נורא indigere magna consideratione
אעפ' שדשווש הוה יקר העד מאר אם קבלה הוה נקבל
אותה בספר פינס יפהות ואם לרין יש תשובה
*Licet articulus ille eximus admodum sit, si prompte suscipiatur
& fronte serena, tamen adversario disputanti paratam esse exce-
ptionem, & c. 4. mutabilitatem legis sic adstruit dicendo:*
הרת האלהית הוות משנה זו מן האסור אל ההורן ומ-
ן h.e. Lex divina mutationem recipit è vetitis in licita, & è licitis in vetita secun-
dum mutationem temporum. Neque vero tantum mutabili-
tati obnoxiam esse Legem à Mose traditam, sed & factò ipsò,
temporibus Messia mutandam esse antiquorum Iudaeorum
quidam statuerunt. Autor modo memoratus lib. III. c. 19.
ex Midrasch refert cù facilitate, omnes Israelitas doctrinam
Messia temporibus tradendam, accepturos, quâ antea susce-
perint doctrinam ex ore divino per ministerium Mosis:
ישקנו מנשיקות פיו אמרו להם אין זו עכשו אבן
לעתוד הוות שנאמר נתתי תורתך בקרבתך על הורי לך
מפורש שורהם לך והוא שכבר ימצא לכל ישראל בעורך
למור שני בראשון מפי הקב"ה בלי אמצעו
*Quan-
do legitimus Cant. I. 2. & utinam osculetur me osculo oris sui,
Sapien-*

Sapientes observarunt & dixerunt illis, id jam non siet, sed posthac,
 juxta illud Jeremie XXXI. 31---33. Ecce dies venient dicit Dominus,
 & feriam cum domo Israel & cum domo Juda fœdus novum,
 non secundum pactum, quod pepigi cum patribus vestris in die, quā
 apprehendi manum eorum ut educerem eos de terra Egypti, pa-
 ctum quod irritum fecerunt, & ego neglexi eos dicit Dominus, sed
 hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel. Post dies illos dicit
 Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum
 scribam eam &c. Ecce explicatum est tibi censere Doctores no-
 stros f. m. omnes Israelitas posthac accepturos doctrinam alteram,
 ut prius, ex ore DEI immediatè. Hoc tempore Messiae even-
 turum, clarissimis literis docet R. Moses Nachmanides in
 Deut. seft. sic scribens: וּשׁוֹב הָרֹם בְּזַמֵּן הַהִיא: נִצְבִּים
 לִימּוֹת הַמָּשִׁיחַ לְאֶשְׁר וְהַ קּוֹרֵם חֲטֹאוֹ שֶׁל אָדָם הַרְאֵשׁ
 וְנוּ וְחוּ מָה שָׁאמַר הַכֹּתוּב בּוּמְתָה הַנָּה יְמִינָם נָאֵ-
 ה וְכֹרְתִּי אֶת בֵּית יִשְׂרָאֵל וְאֶת בֵּית יְהוָה בְּרוּתָה לִפְנֵי
 כְּבָרוֹת אֲשֶׁר כֹּרְתִּי אֶת אֲבוֹתיכֶם וְנוּ כִּי זָאת הַכְּבָרוֹת אֲשֶׁר
 אֲכָרֹות אֶת בֵּית יִשְׂרָאֵל אַחֲרֵי הַיְמִינָם וְהַחֲמָה נָתַת תּוֹרָתִי:
 Hoc est. Restituetur homo il-
 lo tempore, nempe diebus Messiae, in eum statum, in quo erat, an-
 tequam peccaret primus homo &c. Hoc est quod dicit Scriptura,
 Jer. XXXI. 31---33. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam
 cum domo Israel & cum domo Juda fœdus novum, non secun-
 dum pactum, quod pepigi cum Patribus vestris &c. sed hoc erit
 pactum quod feriam cum domo Israel: Post dies illos, dicit Domi-
 nus, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum
 scribam eam.

§. IX.

In genere haec tenus probavimus, leges ceremoniales, mutationi obnoxias fuisse. Ut verò earum antiquatio eò clarius appareat, in specie quasdam percurrere animus est. Legem ceremonialem de Sacerdotio antiquandam prænunciavit Dominus Es. LXVI. 20, 21. *Tum adducent omnes fratres vestros ex omnibus gentibus munus Domino, equis & curribus, pilentis, mulisque ac veredariis, ad montem sanctitatis meæ Jerusalēm versus, ait Dominus: quemadmodum afferunt Israëlite munus instrumento mundo in domum Domini.* Atque etiam ex istis assumam in Sacerdotes & Levitas ait Dominus. Hic Sacerdotum electio promittitur ex gentilibus, & contraria est legi Mosaicae, unde quid aliud consequitur, quam hoc, tempore Christi ceremoniales Mosaicas pristinam autoritatem non revertenturas. De hâc antiquatione vaticinatum etiam esse Davidem Ps. CX 4. inquietem: *Juravit Dominus, neque paenitebit, tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem seu institutum Melchisedechi, c. VII. epist. ad Hebr.* monstratur hòc argumentò: Si consummatio per Leviticum Sacerdotium erat (nam sub hoc sanctita lex est populo) quid amplius erat opus, alium exoriri Sacerdotem secundum ordinem Melchisedechi, nec secundum ordinem Aaronis dici? Mutatò enim hòc sacerdotiò, necessaria quoque legis mutatio sit. Nam is de quô hæc dicuntur, ad aliam tribum pertinet, de quâ nullus attendit altari. Scilicet Christus, cui hic Sacerdotium pollicetur, non ex levitica tribu, ex quâ Sacerdotes elegabantur, erat, sed ex tribu Iudeæ & ex familia Davidis, ut neminem fugit. Jam officium Sacerdotis obire non concessum erat ex lege Mosis ei, qui erat ex stemmate Iudeæ, 2. Chron. XXVI. 18. Messia promittitur officium Sacerdotale,

le , & quidem per juramentum , idque æternum , confer
Zach. VI. 12. seq. quod repugnat legi Mosaicæ de Sacerdotio
traditæ. Sacerdotium illud non est ejusdem ordinis , nimi-
rum Aaronici sed Melchisedechiani. Quod cum Levitico
simul stare nequit , ob diversitatem generis. Pari ratione
Arcæ , ceremoniarum omnium centri & compendii , ad
quam in omni cultu ceremoniali respiciebatur , coram qua-
adorabatur 2. Sam. VI. 2. totalem abrogationem , non tantum
è rerum naturâ , sed & ex memoriam , amore ac desideriô fide-
lium Jeremias prædictit c. III. 16. 17. *Tum fiet , cum multipli-
caveritis vos , & fructum feceritis in terrâ in diebus istis , dictum
Domini , non dicetis amplius ; Arcafæderis Domini , neque ascen-
det super cor : nec mentionem facient ejus , neque desiderabunt ,
neque reparabitur amplius. In tempore illo vocabunt Hierosoly-
mam , Thronum Domini , & congregabuntur ad eam omnes gen-
tes ob nomen Domini.*

§. x.

Institutionem Sabbati, Rabbinorum tam antiquorum quam recentiorum præcipui, referunt ad tempus egressionis ex Ægypto, dicuntq; Sabbathum solis Judæis præcepimus מזות נצטו יישׁאָל במרָה שׁבָע שְׁקִיבָּה, utrumque נח והוֹשֵׁפָו עלוּתָן רַיִנָּן ושבָת ויכור אֶב ואמֶת רַיִנָּן רַכְתִּיב שֵׁם שֵׁם לוֹ חֻק ומשֶׁפֶט ויכור אֶב ואמֶת דְּכַרְתּוּ כַּאֲשֶׁר צָרָר ואמֶר ר' יְהוָה קָשֵׁר צָר בְּמָרָה
Hæc reperiuntur in Gemara Babyl. ad Tit. Sanhedrin c. 7. &c.
h. m. vertuntur : Decem præcepta accepere Israelite in Mara;
Septemque Noachidarum fuere s. humani generis universi. Jam
verò adjecta sunt judicia Sabbathum & Parentum honos. Ju-
dicia iuxta illud (Exod. XV. 25.) illic posuit ei statutum & judi-
cium.

cium. *Sabbathum & Parentum honorem juxta illud* (Deut. V. 12. & 16.) *quicquid modum praecepit tibi Dominus Deus tuus, quod ex sententiâ R. Jehuda intelligendum est de eo, quod ante praecepit in Mara.* Maimonides part. III. More Nebhoch. c. 32. similia recenset ex traditione antiquâ, dum scribit: תְּחִלַּת צְוֵי שָׁבָת אַחֲרֵי יְצֵאת מִצְרַיִם הוּא מִזְמָרֶת שְׁנַצְטִירֶת כְּ בָרָה וְהַוָּא אָמְרוּ לְנוּ שֵׁם אַ- שְׁמַע תְּשֻׁמַּע בְּקוֹל וְאֶלְחָךְ גָּנוּ שֵׁם שֵׁם לוּ חֻק וּמִשְׁפְּט גָּנוּ וּבְאֶחָד הַקְּلָלה הַאמְרָת שְׁבָת וּדְינֵן בָּרָה אִיפּוּקָר וְהַחֻק וְהַמִּשְׁפְּט הוּא שְׁבָת Primum praeceptum, quod, post exitum ex Aegypto datum est, fuit illud, quod imperium est nobis in Mara; id scil. quod dictum nobis fuit: si audiendo audiveris vocem Domini DEI tui &c. Ibi posuit ei statutum & judicium &c. Adiecta etiam est Cabala s. traditio avita, qua asseritur Sabbathum & Judicia, in Mara imperata. Unde statuto ibi denotatur Sabbathum, & iudicio, hujus formulae. R. Isaac Abarbanel de Sabbathô in enucleatione Decalogi differens, ubi de primô praecepti vocabulo זְכָר Recordare dispicit, traditionem hanc disertè agnoscit וְלֹפֶת רֵית חַול שְׁבָת וְדֵין בָּרָה אִיפּוּקָר אָפְשָׁר לְפָרֵשׂ זְכָר את וְסֵם השְׁבָת זְכָר מִזְמָרֶת בָּרָה Et secundum sententiam, inquit, sapientum pie memoriae, Sabbathum & ejus formulas in Mara suisse institutas, absconum non erit interpretari illud, recordare diei Sabbathi, recordare ejus, quod tibi praecepi in Mara. Et R. Salomon Jarchi illud Deut. V. interpretatur de origine Sabbathi in Mara. אשר צָרָת מִתְן צָרָת קְרֹות מִתְן תורה בָּרָה Quando, inquit, hic dicitur, quicquid modum praecepit, intelligendum est de eo, quod ante legem datam praecepit in Mara. Testimonia Judæorum probantia Sabbathum

thum solis Judæis demandatum fuisse collegit Galat. lib. XI.
c. 9. de arcan. Cath. Verit. Si itaq; Sabbathum demum post
egressum ex Ægypto institutum, & ut παρηγενετο liberationis
ex servitute Ægyptiacâ Judæis concreditum, quis non videt,
ad observationem Sabbathi Judaici Christianos non obstrictos
esse. Hoc quoq; notum esse potest ex V. T. clarissimis dictis
Exod. XXXI.13. dicitur: *Omnino Sabbathum meum servabitis: hoc
namque signum est inter me & inter vos in generationes vestras.* In
hôc loco asseritur Sabbathum esse signum inter DEum & filios
Israel, non vero inter omnes populos. In Hebraicò sermo-
ne notabilis locutio לְרֹאשׁ occurrit, quæ à quibusdam per
nomen familiæ & tribus, ab aliis per nomen generationum
reditur hoc sensu: stante Republicâ & Politia Mosaicâ, in
quâ fuit distinctio tribuum & generationum exactissima, hæc
rigorosa Sabbathi observatio attendenda, jam vero, quia
non amplius Judæi suas habent tribus, neque distinctionem
tribuum infallibilibus signis ostendere valent, neque Sabba-
thum illud celebrare tenentur. Sic Deut. V. 15. dicit Moses
*Memento, quod servus fueris in terra Ægypti, eduxeritq; te Do-
minus Deus tuus inde per manum fortem & per brachium excel-
sum: idèo præcepit tibi Dominus Deus tuus facere diem Sabbathi.*
Memoria præclaræ educationis ex servitute Ægyptiacâ, in
hôc dicto adducitur, tanquam causa observandi Sabbathi.
Sicut ergo solus populus Israeliticus & non aliis ex Ægypto
ejusque servitute educitus & liberatus est: ita etiam illum-
tantum, non alios rigorosa hujus Sabbathi observatio
stringit.

§. XI.

Licet Sabbathum apud nos Christianos sit Symbolum
creationis, non tamen obligamus ad rigorose observandum
diem

diem septimum, ita, ut Judæorum ritus & ceremonias imitari opus habeamus. Nam circumstantiam diei septimi ad ceremoniale pertinere, solosque Judæos in Palæstina degentes, obligare; ipsimet Judæi veritate compulsi, nobiscum profitentur, dicentes: circumstantiam temporis in Sabbathō esse ceremoniale & posse cultum diei septimi ab illis horis, quæ in Judæa primum ei dicata fuerunt, & qvæ φύσις Sabbathum constituunt, reapse separari. Quod si hoc Judæis quibusdam nondum sufficit, demonstrent qvæsto nobis & liquido ostendant, diem illum septimum, qvem pro Sabbatho habent, esse illum diem septimum, quo Dñus ab opere creationis qvievit. Hoc qvidem ex celebratione Sabbathi in desertō, probare allaborat Philo Judæus, Lib. I. de vita Mosis: Άμα μὲν τοι ἡ πὰν τελπόντων ἡμέρων ἀνεδιάσκονται, ἐντεῖλαις γδ ἐπι πολλά, τίς ἄρει ἡ τὸν κόσμον φύσις θεόθλιψ-, ἢ οὐ πότε τὸ πᾶν δυνατότητα, καὶ τῷδέ πατέρων καὶ τεργάνων τὴν γῆπον ἀλυτον θεοτεξάμφοι, μόλις ἡδυνάθουν ἐνεργεῖ, ἢ μόνον χρηστοῖς ἀναδαχθεῖται, αὐλά καὶ τεκμηρίῳ πάντων οὐφει. h. e. Similique discibant inquit observationem illius diei sacratissime ac desideratissime. Cum enim jam dudum quesissent, qui esset mundi natalis, quo hoc universum absolutum est, rem à suis majoribus ignoratam, tandem didicerunt, non solum oraculo, verum etiam argumento manifestissimo. Sed sine omni ratione, quemadmodum quilibet hoc testimonium perlegens & perlustrans confitebitur. Unde Paulus Burgensis cum Saulō Judæo disputans, argumentis probabile redditidit, primum, quod in desertō, post Mannæ descensum, celebratum est Sabbathum, nullatenus fuisse diem illum septimum pristinum, quo Dñus quievit. Verba ejus habentur part. I. Scrut. Script. dist. 8. c. 14. & hujus sunt tenoris: *Si bene consideras primum Sabbathum,*

ibum, quod legitur in deserto celebratum, non fuit septima dies correspondens primo Sabbatho, quod fuit in mundi exordio, prout tu dicis, sed fuit septima dies à descensu Manna. Qui quidem descendens non legitur incepisse in prima die Hebdomadae; unde sic septima dies computata à primâ die descensus Manna concurrat cum die Sabbathi, in primò exordiò sanctificati. Imo probabilius posset dici, quod dies prima, in quā Manna descendit, non fuit prima dies Hebdomadae, quae dicitur una Sabbathorum. Nam in primis vesperis illies diei descendit coturnix, & saturati sunt carnis. Constat autem, quod si illa vespera esset vespera secunda diei Sabbathi, non esset eis licitum occidere coturnices, & parare eas. Ex quo patet, quod dies immediate precedens descentum Manna, non fuit dies Sabbathi, & per consequens prima dies, in qua Manna descendit, non fuit una Sabbathorum. Quomodo etiam, Judæi, de observatione diei septimi gloriari possunt, cum Sabbathum Judaicum per Solsticium Iosuanum, & retrogressionem solarem tempore Hiskiae, jam olim mutatum fuerit vid. Mülleri Judaismus c. XX. p. 697. ubi hanc mutationem verbis sat prolixis describit. Si Judæi solivagi non tenentur strictè observare diem Sabbathi, multo minus ad id obligati erunt Christiani. Prius, præter alios Judæos, Maimonides confirmat in Hilchoth Schabbath c. 2. §. 22.

המחר במדבר ולא דעת מדי הוא יום שבת מונח מיום שטעה ששש ומקריש شبיע ומכך בו ברכה הום ומכוון בימי שבעת שבת וככל יום ווומ ואפילו ביום זה שהוא מקריש מכירל בו ומותר לו לעשות כרי פרנסתו כלבר כרי של' ז ימות ואסור לו לעשות יותר על פרנסתו שכל יום ווומ טפוק שבת הוא ואם ירע שווא שמיט ליציאתו או חמשה עשר ליציאתו וכויניא בוה והמן הרי זה מותר לעשות מלאכיה באוטו הום שהרי הרבר וראי שלא יצא בשיוורא בשבת עשר חמישים וחץ יומי זה עשה כרי פרנסתו כלבר

Que

24

Qui in deserto oberrat, inquit, & nescit quando sit dies Sabbathi, is numerat ab illo die oberrationis sua dies sex, & sanctificat septimum, recitatq[ue] illo ordinarias precum formulas, tum & finito eō, festi à profestō facit separationem, facitque idem quoquo die, etiam eum, tanquam profestum separans, quem sanctum facere instituit. Fas verò est ei (quotidie) tantum sibi parare, quantum opus est ad mortem evitandam, sed amplius parare prohibetur, de quoquo enim die presumptio est, esse sabbaticum. Quodsi autem certum sit ei, hunc circa quem heret, esse diem ab exitu octavum, aut decimum quintum, & sic secundum istam computationem consequenter, tum licet ei illo die (& quoties per vices revertitur) vere opus peragere, nam minime dubium, non profecturum fuisse die Sabbatico, cæteris autem diebus, uno hoc excepto, non parat amplius alimentorum, quam necessaria est.

S. XII.

Longe ante Mosen viguerunt Sacrificia & Circumcisio. Nam Cain & Abel sacrificia DEo obtulerunt, & de circumcisione Abraham jam accepit à DEo mandatum, de qvō vid. Genes. XVII. Sed & hæc DEus antiquavit. Ex sacro Codice ignotum non est, Sacrificia V. T. admodum multa, & varia fuisse. R. Bechai Comment. in Pentat. fol. 126. tredecim enarrat sacrificiorum species דע כי כל מני הקרבנות הם יג' חמשה מהם באות מהקמח והן מנחת סולת מנחת מרותשׂת מנות חלות רקיון וכלי נקראין קרבן השמנת מותם הם בעלי חיים והם עליה חטא אשם תורה שלמים בכור מעשר פסח : *Sciendum, inquit, est, tredecim omnino sacrificiorum species fuisse: Quinque illorum farinâ (purissimâ) constabant, v.g. oblatio simile, oblatio in clibano, vel sarragine, vel craticula cocti, vel placenta tenuis; atq[ue] hæc omnia nomine*

mine Korban veniebant. Octo vero illorum erant animalium, v.g. holocaustum, oblatio pro peccato, oblatio pro delicto, confessio-nis sacrificium, pacificum, primitiae, decima, Pascha. Omnia ista sacrificia DEum extincta voluisse, Scriptura passim innuit: Es LXVI. 20. 21. promitit DEus tempore Messiae Sacerdotes & Levitas ex quibuscunque Gentibus se sibi sumpturum. Mal. I. II. in omni loco suffimentum & munus puro nomini suo oblatum iri. Es. XIX. 18 seqq. In media terrâ Ægypti altare sibi gratum fore. Zach. XIV. 20. Tintinnabulis eqvorum inscri-ptum iri, Sanctitas Domini. Hujus, divinæ Sacrificiorum abrogationis, testimonium perspicuum legimus in Psalm. XL. 7. in quo sequens locutio occurrit: זבח ומחרה לא רבצת Sacrifitium & oblationem noluisti. Quis hec (quod Iudeis & sacrificiorum & sacerdotii finis sit, adeo ut nunquam amplius ad pristinam consuetudinem hec sint redditura) dicit: Admirandus ille ac magnus Propheta David. Declarans enim, quod omne sacrificiorum genus esset ejiciendum, & aliud inducendum, loqui-tur hunc in modum. Multa tu fecisti Domine DEus meus mirabi-lia tua, & cogitationibus tuis non est qui similis sit tui. Annun-tiavi & locutus sum. Vides Propheta sapientiam: ubi dixisset. Multa tu fecisti Domine DEus meus mirabilia tua, stupefactus ad-miratione divini opificii, nihil dicit de conditione rerum nobis con-spicuarum, caeli, terre, maris, & aquæ & ignis, non de stupen-dis illis prodigiis, que acciderunt in Ægypto, non de cæteris ejusmo-di oraculis: Sed quæ dicit esse miracula? Sacrificium & oblationem noluisti. Quid obsecro dicit? An istud stupendum est ac mirandum? Nequaquam inquam: non enim hoc solum vidit, sed cælitus edocitus prospiciebat oculis propheticis futurum ut gentes ad-ducerentur: & quomodo qui prius erant addicti Diis, colebantq; lapides, miseriores ipsis brutis, repente visum recuperent, omni-umque Dominum agnoscerent, & relicta impura demonum cultu-

ra, pure citraque sanguinem DEum coherent; simulque intelligens
 quod non ille solum, sed & Iudei infirmiores, relicto hostiarum,
 haudcautum, aliorumque corporalium rituum observati-
 one, ad nostram & ipsi philosophiam adducerentur: simulque re-
 putans ineffabilem DEI erga genus humanum charitatem, quæ
 superat omnem intellectum, & attonitus admiratione tante mu-
 mutationis futura, & quam mirabiliter ista DEus in alium ordi-
 nem translatus esset, & homines ex demonibus facturus Ange-
 los: ac vita genus induc. uix celi dignum. Tum quod hec
 omnia essent futura veteri sacrificio abolito, & altero in illius locum
 inducto per corpus Christi: quod sacrificium admiratus & stupe-
 factus dicebat. Multa tu fecisti DEus meus mirabilia tua & ex
 persona Christi totum hoc iuricinium edit. Sanè cum dixisset;
 Sacrificium & oblationem noluisti subiicit: corpus autem adaptas-
 si mihi. De corpore loquens dominico, communi pro toto orbe sa-
 crificio, quo nostras purificavit animas, peccata dissoluit,
 mortem extinxit, cælos aperuit, multasque ac magnas spes nobis
 ostendit, ceteraque preparavit omnia. Sic in locum allega-
 tum eleganter scribit Chrysostomus oratione IV. contra Ju-
 dæos quæ Tom. V. exhibetur. Ut adhuc clarius pateat, in
 hoc Psalm. XL. in verbis adductis, de abrogatione sacrificio-
 rum agi, ex Jac. Cappello, Höpfnero, Geiero & Frismuthi
 disp. de Messia pro reatu se tradertis hostia part. prior. c. II.
 §. 33--36. notandum, DEum in sacris literis tripliciter dici
 nolle sacrificia (α). οὐ γένεται vcl comparativè Psal. L. 18.
 Hof. VI. 6. quod Rivetus Comment. in Psal. XL. ita explicat,
 videlicet hæc intelligi de externis sacrificiis, à fidelibus etiam
 oblatis, quæ non dicuntur absolutè à DEO non requiri; sed
 comparete, quia cultus spiritualis longè est excellentior &
 longè præferendus externis ritibus & umbris &c. (β) DEus
 dicitur nolle sacrificia ἐλεγχπως redarguitivè, scil. absque
 fide

fide & pœnitentiâ, cum intentione meriti, oblata fuerint Es.
I. ii. Jer. VI. 20. Amos V. 21. Quibus dictis (sunt verba B.
D. Gerh. Tom. IV. LL. Th. de Sacram. §. 73.) reprehendun-
tur & refutantur falsæ opiniones, quas homines externis illis
ritibus, neglegâ promissione & fide, affingebant, quasi ex
opere operatô profint, si vel maximè non ad sit interior con-
versio & vera fides, unicum Christi sacrificium respiciens.
(γ) DEus dicitur nolle sacrificia *ἀπνηπάσις* negativè seu
ut Cappellus dicit: propheticè & prædictivè, scil. adventante
imagine cessaturas fore umbras & hic sensus hujus est loci,
quem Bartholomæus Petri in addit. ad Estium in Ebr. X. non
inconciñè ita proponit: Christus per illa verba: noluisti,
&, non placuerunt, pronunciat cessaturam legem ceremoni-
alem, & quæ per eam præscribabant sacrificia, cessatura-
autem omnia haec ipsius adventu, sicut figura cessare debet
præsente veritate, quam præsignabat, utpote quæ deinceps
falsam significationem sit habitura, idque in materiâ cultûs
divini, eâque de causâ DEO meritò displicitura. Circum-
cisionis abolitionem ex nostris verbis concludi posse B. Ger-
hard. Tom. IV. LL. Th. de circumcis. & Agnô paschali §. 19.
ostendit Circumcisio, inquit, fuit Sacramentum V. T. Chri-
stum respiciens venturum & ex Abraham semine naſciturum.
E. abrogata est in N. T. Christo jam in carne exhibito, & of-
ficium divinitus sibi demandatum exsequente: Jerem. XXXI.
31. *Ecce venient dies, dixit Dominus, & feriam cum domô Israel*
& cum domô Iuda fædus novum, ex quo colligit Epistola ad
Hebr. c. VIII, 13. *Per hoc quod dicit novum antiquavit prius, por-*
ro quod antiquatur & senescit, in propinquuo est, ut evanescat.
Quemadmodum igitur autor illius Epistolæ ex promissione
paſti novi, abrogationem veteris, & ex abrogatione veteris
paſti, abrogationem Leviticorum Sacrificiorum colligit:

D 2.

ita

ita quoque ex abrogatione veteris pacti, Circumcisionis abrogationem colligere possumus, cum & ipsa ad Vetus Testamentum pertineat. Jussit DEus ut membro genitali signum hoc foederis imprimeretur, ut circumcisi admonerentur de Messia ex semine Abrahami nascituro, exhibito ergo Messia, abrogari debuit circumcisione. Autoritati V. T. Quendst. Part. IV. System. Sect. 2. qnaest. 1. p. 99. autoritatem N. T. adjungit quem vide. Nos ex Ægidii Hunnii Tom. I. Opp. Latin. tract. de Sacram. c. II. de circumcisione p. 989. hoc adhuc addimus argumentum: Quod ad legis perfectam obedientiam nos obligat, & à Christi gratiâ facit excidere, id utique non pertinet ad N. T., sed ad id, quod aboliri debuit. Atqui circumcisione sub opinione necessitatis, post Christi mortem, susceptra, obligat ad obedientiam totius legis servandæ. E. ad vetus pactum pertinuit, & proinde cum eō abrogari debuit.

§. XIII.

Hanc Sabbathi, sacrificiorum, & circumcisionis probatam abrogationem Judæi evertere conantur voce עולם Quia nimis de Circumcisione Gen. XVII. 7. dicitur: *Statuam pactum meum inter me & inter te fædere sempiternō,* de Sabbatho Exod. XXXI. 16. *Custodient Sabbathum pactō sempiternō, & de Sacerdotio Leviticō Exod. XXIX. 9. in statutum Seculi;* inferunt Scripturam harum rerum perpetuam durationem indicare. Sed ad hoc facilis est responsio, si ex B. Chemnitii LL. & quidem de Lege DEI c. V. teneamus שָׁרֵך significare perpetuitatem secundum conditionem rei, cui conjugitur: Quando ergo de DEO dicitur, significat perpetuitatem absolutam, quando verò de Lege dicitur, cuius duratio finienda erat adventu Messie, significat durationem limitatam, ad certum illum ambitum temporis.

poris. Et ideo Moses plerumq; ipsam limitationem addit: *in perpetuum, in generationibus vestris, in mansionibus vestris.* Vocem periodicam etiam in Scriptura notare durationem, ipsimet Judæorum Doctores confitentur. R. David Kimchi in radice *עלם* in lib. Michlol parte secunda, hoc ex variis locis probat ועbero לעלם רל כל הימים עד הוויל אל הסג גבוי לעלם מימים רבים אשר עשו אברותך כי מעולם שברתו עלך טומן רב לעלם לא אשכח פקוריך רל כל ימי חייו וגנו. *Dicitum est Deut. XV. 17. Et serviet ei usq; ad seculum, quasi ducat omnibus diebus usque ad jubileum.* It, Prov. XXII. 28. *Non repellas, vel non removeas, sive postponas terminum seculi i.e. dierum multorum, quem fecerunt Patres tui.* It, Jerem. II. 20. *Quoniam à seculo confregi jugum tuum, i.e. à tempore mulio.* It, Psal. CXIX. 93. *In seculum non obliuiscar statutorum tuorum,* i.e. omnibus diebus vite ejus. Sic quando de aqua cineris vaccæ rufæ Num. XIX. 21. scribitur וחותה להם לחקת לעלם Et erit hoc iis in præceptum seculi. Glossa hanc addit explicationem שנחוג הבהיר לזרות רבות *Quod procedet res ad multas generationes.* Quod de Samuele I. Sam. I. 22, ab Anna dictum ורביביאתנו ונראה את פני י' ושב שם עד עולם Et adducam eum, & apparebit coram Domino & habitabit ibi in seculum. R. Salamoh illud interpretatur de spatio 50. annorum עד עולם של ליום חמישים שנה ש' sic verba inflectens: ומכן חמישים שנה ישוב מצבא העברה ולא יעד וכן Usque ad seculum היו כל ימי של שמואל ב' ושתיים שנה Levitarum, quod erat 50. annorum, sicut dictum est Num. IIX. 25. Et filius 50. annorum cessabit à negotio serviendi, & non serviet ultra, & sic fuerunt omnes dies Samuelis 52. anni. Pari ratione illud עולם de servo Deut. XV. 17. usurpatum in Midrasch Elle

30
Elle Haddebharam exponitur, ubi hæc scripta reperimus :
כל ומי עולמו של אהרן עד היבול אף הוא נזכיר שלשים שנה :
ו ארבעים שנה לפניו ובעת :
Cunctis diebus seculi Domini usq[ue] ad jubilæum, etiam si emptius esset tringinta, vel quadraginta annis ante jubilæum,

§. XIV.

Quæ de LL. Ceremonialibus in genere & in specie asse-
ruimus, ea quoque de Legibus forensibus tenenda esse sta-
tuimus. Namrum & hæc ut illæ, jam abrogatae sunt, nec
amplius, quatenus judaicæ sunt, nos, post Messiacæ adventum,
obligare possunt. Has enim leges forenses potiores, si quis
accurate consideravit, deprehendet, eas severas & in poenis
irrogandis acres fuisse, ob populi Judaici *πληρωμὴς*, erat
enim hic *πληρεῖχνλ* dura cervicis populus A& VIII. sc.
Per hujusmodi ergo leges in officiō erant retinendi atq[ue] coer-
cendi. Alia vero est ratio federis novi, utpote cuius filii,
sunt populus Messiacæ spontaneus, in deore sancto Psalm. CX. 3.
Leges quædam plane respiciebant terram Chanaan e g. Lex
de manumittendis servis, anno jubilæo, de primitiis deci-
misque DEo offérendis Hierosolymis, de terminis non mo-
vendis, quæ ex speciali, quod DEus in illam terram habebat
jure, ortæ sunt, neque de ceteris regionibus diſtæ. Quare
eas etiam permutari potuissè fancitis melioribus, & alterato
Politia Judaicæ statu, easdem alterari debuissè, manifestum
est. Hinc etiam à supremo Legislatore certus terminus hisce
legibus præfixus. *Non afferetur sceptrum de Iuda neque*
סְרוּקָה Legislator de sūmore ejus, donec veniat Schilo seu
Messias dicitur Genes. XLIX. 10. Conjugatur in hoc loco
sceptrum & Legislator, ac durationj utriusque certum tem-
pus præfigitur, videlicet adventus Messiacæ, proinde adven-
tu Messiacæ, ipsa politia Judaica, cum suis legibus abrogari debe-
bat.

bat. Publicum etiam atque manifestum abrogationis istarum Legum testimonium est Politiae Judaicæ destru^co. Sublata politia tolluntur etiam leges istius politiae. Atqvi. sublata est politia judaica, siquidem toto illo tempore, quod expugnationem Hierosolymæ & Iudeorum dispersionem secutum est, nec Reges, nec Duces, nec Synedrium habuerunt, ac vere completum est vaticinium Hos. III. 4. *Dicibus multis manebunt filii Israël absq; Rege & absq; Principe sine ullo sacrificio, sine altari, sine Ephod & Teraphim.* Neque est quod obvertatur, in Imperio R. leges quedam ex Atheniensium & aliorum Politis desumptæ, observantur, quamvis istæ politiæ dudum destructæ sint; Nam illæ observantur, non quatenus Atheniensium sunt propriæ, sed quatenus à Magistratu Romanò in Rempublicam Romanam introductæ, & Romani Imperii jure donatae sunt. At de forensibus legibus Mosaicis idem dici nequit, neque eorum summus Legislator DEus, aut ejusdem ministri, quô voluntatem ejusdem tum in V. tum in N. T. hominibus patefecerunt, tale quid requiri siverunt. De Mo^e & Prophetis V. T non legimus, easdem leges gentibus, licet ad DEum verum conversis, imposuisse. Iosephus quoque Ægyptum, Daniel Perficuum Regnum gubernavit, non introductis forensibus istis legibus. Multo minus id ipsum in N. T. à Christò aut Apostolis ejusdem factum, ut potius Cæsari, quæ sunt Cæsar's danda, Salvator noster dixerit, atque propriò suò exemplō comprobaverit. Apóstoli vero omnem animam potestatibus sublimioribus subiectam esse voluerint Rom. XIII. etiam illis, qui legibus aliis, quam Mosaicis Rempublicam administrabant, eo ipso satis declarantes Leges Mosaicas non simpliciter omnes obligare.

§. XV.

Ex antecedentibus jam liquet DEum Leges ceremo-
niales & forenses antiquasse. An vero etiam legem mora-
lem antiquaverit, non immerito aliquis quæret? Ad hanc
quæstionem solvendam tenenda est distinctio inter legem
moraalem ὁλικὰς & μερικὰς consideratam. Lex moralis non
est antiquata ex totō, sed ex parte. Quoad prius, seu quoad
doctrinam & obedientiam, legem moralem nec antiquatam
esse, neque in hac vītā antiquandam, Christus expressis ver-
bis testatur, inquiens: *Peribit cælum & terra, sed iota unum,*
aut apex uniuersitatis Lege non peribit Matth. V. 18. quibus adjungi
potest testimonium Pauli, quod habetur I. Tim. I. 8. *Scimus,*
quod lex sit bona, si quis ea legitime utatur. Deinde si lex
moralis solis Judæis observanda tradita esset, antiquari pos-
set, sed quia omnibus tam Judæis Deut. II. 11. Ezech. XXIX.
quam Christianis Matth. V. 16. & 19. Luc. X. 37. Rom. VI.
12. 13 &c. à Christo & Apostolo est demandata, antiquari non
potest, ne ab ipso quidem DEo. Quia enim lex hæc chara-
cter est aeternæ legis justitiae & sanctitatis, quæ ipse Deus est,
tam ejus obligationem respectu vel omnium, vel paucorum
hominum tollere non potest, quam non seipsum, justitiam
& sanctitatem suam, abnegare vid. Qvendst. Syst. part. IV. c. r.
sect. I. th. 35. Quoad posterius, lex moralis, juxta commu-
nem sententiam, variis modis est abrogata. Nimirum pri-
mo quoad vim & usum justificandi, & quidem omnibus, tam
infidelibus, quam fidelibus, tam in gratiâ constitutis, quam
extra gratiam positis. Testatur hoc Scriptura Gal. III. 21.
Neminem per legem justificari, manifestum est. Si data-
esset lex, quæ possit vivificare, vere ex lege esset justitia.
Rom. III. 20. Ex operibus legis nulla caro justificatur in
conspicu DEi. Secundo abrogata est lex quoad maledicti-
onem

onem & condemnationem, idque solis fidelibus & in gratia constitutis Gal. III. 13. Christus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio. Huc pertinet dictum 1. Tim. I. 9. Scimus legem justam non esse, sed sceleratis, & subjici nesciis, impiis & peccatoribus, nefariis & profanis, patricidis & matricidis, homicidis, scortatoribus, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris & si quid aliud est, quod sane doctrina sit oppositum. Tertiò quoad rigorem exactio[n]is. Quia Christus pro nobis exactissime legi satisfecit, DEUS remittit aliquid de rigore legis & infirmitatibus Renatorum propitiis est propter Filium. Quarto quoad servilem coactionem respectu renatorum. Unde Paulus ad Gal. VI. 18. dicit, illos, qui spiritu ducuntur non esse sub lege. Modum abrogationis legis moralis paulo aliter proponit Witsius tract. jam memoratō lib. I. c. 9. §. 21. Ita vero ibidem animi sui sensa exprimit: Manet ergo lex, prout norma nostri officii est, sed antiquata est, eatenus, ut non habeat rationem faderalem, nec possit obire vicem conditionis, cuius prestatio[n]e ipse homo sibi jus ad premium comparare queat. Quo sensu Apostolus dicit, nos non esse sub lege Rom. VI. 14. scilicet ut prescribente conditionem vita. Manet quidem indissolubilis nexus inter perfectam justitiam & vitam eternam; ita ut hec sine illa obtineri non possit; sed postquam homo justitia excidens ipsum premium decoixerat, DEO liberum fuit vel punire peccatorem juxta meritum suum, vel sponsorem illudare, qui ejus loco justitiam omnem impleret. conf. & §. 22. in quibus Virorum quorundam Doctorum sententiam recenset & refutat.

S. XVI.

Quomodo Lex moralis antiquata, ex hac tenus annotatis innotescit. Restat, ut breviter quoque quedam, ex eruditorum

E

ditorum scriptis, de modo abrogationis Legum Ceremonialium & forensium, hic apponamus. Modus hic in Textu exprimitur per παλαιόν, quod LXX. Interpretes Ps. CII. 27. adhibent de vestimento, quod ex usu & vetustate detritum, ornatuque ac soliditate pristinā tandem penitus carens, abjicitur ac putreficit, vel à tineis absumitur. Quemadmodum ergo vestimentum, quando veterascit, non mutatur in statum perfectiorem & pulchriorem mutatis tantum qualitatibus, sed potius successivè atteritur, & prorsus inveteratum ac detritum dissuitur ac disrumpitur, disruptum & usui minus commodum tandem abjicitur: sic & comparatum fuit cum LL. ceremonialibus. Istæ non simul sed successivè antiquatae sunt, nam ad interitum, magis magisque inclinantes diminutis viribus, tandem substantialiter ac plenariè interierunt. Verbum παλαιόν Psalm. XXXII. 3. usurpatur de contabescientia ossium. Ossa sunt quasi corporis humani fundamentum principium, quando illa lœduntur, lœditur quoque totius corporis compages ac motio quam maximè, ideoque eadem arescientia sunt signum imbecillitatis insignis imo mortis vicinissimæ, quippe indicatur humidum radicale ex medullis esse absumptum. Indicatur ergo hōc græcō vocabulō Legum Ceremonialium imbecillitas insignis & mors vicinissima, quod lœlo earundem fundamento, Christo in arā crucis perfozzo & confosso, imbecilles factæ, mox sint interituræ. Hanc harum Legum futuram imbecillitatem ostendit Textus noster voce γηράσκω, quæ de Senibus, qui sunt debiles, à Scripturâ S. adhibetur. Vid. Gen. XIIX 13. Hunc interitum totalem etiam verba nostra textualia voce ἀφανίουμαι monstrant. Græcum deducitur à verbo ἀφανίζομαι quod est dispareo, è conspectu evanesco, afferro, aboleo, obscuro. Extirpandi significationem huic voci attribuunt LXX., quando

quando de excisione & deletione gentium, quarum terram
 Dominus Deus Israelitis promittebat Deut. XIX. i. utuntur
 aut etiam phrasin extirpare è medio populi per iPhani Fzech.
 XIV. 9. exprimunt. Clariora hæc fient, si annotaveris LL.
 Ceremoniales in N. T. abrogatas esse quoad materiale & quo-
 ad formale. Materiale est observatio harum legum, vel ut
 Witsius amat loqui actus obedientiae, lege dogmatum præ-
 scriptæ. Jam Leges istæ, observatu sunt impossibiles, sub-
 ditis Messia, undiquaque dispersis. Constat enim ex vati-
 ciniis Prophetarum ingentem multitudinem gentium ad Ec-
 clesiam DEI & Israelis per Messiam convocandam esse Gen.
 IX. 27. Dilabitat DEUS Japhetum, habitabitq. in tentoriis
Semini Gen. XXII. 18. In Semine Abrahami benedicentur omnes
 terre Gen. XLIX. 10. Messia erit adhæsio populorum,
 conf. E. II. 2 E. XIX. 24. 25. Ulterius scriptura nos docet
 tam Israelitas, quam gentes conversas uno cultu, unâque
 veneratione DEO uno servituros Zeph. III. 9. 10. Zach. XIV.
 8. 9. E. LVI. 3---5. Hoç passim ipsi Judæi confitentur. R.
 Mosche Haddarschan in Breschith Rabba hoc probat ex ver-
 bis וְלֹא קָרַת עִמָּךְ ad eum congregatio populorum,
 Gen. XLIX. 10. dum sic in eadem commentatur :

שֶׁכֶל הָאוֹמֶרֶת מִתְקֹהֶן אֵלֶיךָ שֶׁנְּרָשׁ יְשִׁוָּה אֲשֶׁר עָמַד
 לְנֵס עִמָּךְ נָוִם וּרוּשָׁו אֶרְחָנָנָא אַין מֶלֶךְ מִשְׁיחָ בָּא
 אֶלְאָ לְהִנְןָ לְאָוֹלֶל הַעוֹלָם מִצְוָה אֶרְחָמָן וּבָנָה אָוּטָם
 חַנּוּן עַד לְאָמִים נְתַחְיוּ נְגִיד וּמְאוֹה לְאָמִים :
Omnies populi s.
gentes congregabunt se ad eum, (ad Regem Messiam) sicut dicitur
Ez. XI. 10. Radix Iissai, que stat in signum populorum, eam gentes
querent. Dixit R. Chanina, Rex Mæsiæ non venturus est nisi ad
dandum præcepta gentibus seculi. Dixit R. Rachmon pari ratione
dicit Esaias c. LV. 4. Ecce! testem populis dedi eum, principem.

ac legislatorem, preceptorem, gentibus. Huc pertinet & illud,
 quod in verba Psal. XXI. 2. Domine in virtute tua letabitur Rex, in Middrasch Tillim hoc modò con-
 signatum legimus
 זה שאמ' הכתוב וויה ביום הזה שרש
 יש אשר עמור לנש עם אליו גוים ודורשו אֶרְחִינָה
 אין מלך המשיח בא אלא ליתן לאומות העולם שיש מצות
 כנין סוכה ללב ותפלין אֶרְחִימָן ועל מלך המשיח כתיב
 וישתחוו לו כל מלכים כל גוים ועבورو: *Hoc est quod dicit*
Scriptura Es. XI. 10. Et erit in die illo Radix Isai que sit at insignum
 populorum: & eam gentes querent. Dixit R. Chanina: Mes-
 sias non veniet nisi ut det sex precepta gentibus, ut sunt casulae, &
 Lulah & Thphillin. Dixit R. Rachmon & de Rege Messia Scriptu-
 radicit Psal. LXXII. 11. Et incurvabunt se illi omnes Reges, omnes
 gentes servient ei. Et Menasse lib. II. de Resur. c. 3. scribit gen-
 tes, unam communem cum Israeletis legem amplexuras. Si hoc,
 impossibilis est LL. ceremonialium observatio. Nimirum
 impossibile utique est, ut Afra, Indi, Sauromata, qui sub gelida
 Arcto sunt populi, quippe totò penitus orbe à nobis séjuncti habitant
 Americani singulis annis, cùl legibus ceremonialibus preceptum est,
 cum feria celebrande solemniores, imo totes, quoties aliquò pec-
 catō, aut immunditie illos contaminari contigit, Hierosolymas pe-
 tant, ibique Domino se séstant, & sacrificia offerant, aut faciant
 expiations, Etenim, quod templum aut urbs nondicām, sed quae
 regio sufficeret tot hominibus capiendis? Quae tellus satis victima-
 rum, thuris, olei, salis, lignorumque subministrare posset, tot vel
 spontaneis cultoribus, vel obnoxii ex aliquo reatu? Unde tot Sa-
 cerdotes hostiis macrandis? are ius excipiendis? canales sanguinis
 derivando? Quid fieret si lepro casus incidat, & dormus aliquæ
 fœdetur contagio illa de quâ Levit. XIII. An scilicet necesse erit, ut
 ad garamantas, ultimam Thulen, & fines hominum gades, lon-
 ginquam

ginquam profectionem insituat Sacerdos, & ipsorum oculis contum-
eatur? Hujus generis multa urgeri possent, è quibus aperiè evin-
citur, leges illas ceremoniales, haudquaquam nec latas fuisse, nec
ad eò ferri potuisse à DEO Legis latore, populis à Iudeæ regione pro-
cul remotis; nec impleri ab his nisi vel Prophetarum vaticinia de
Ecclesia dilatione concidant, vel non ilium tantum in Italiam,
vel Pelagus in Tiberim, sed totus terrarum orbis cum interfusō
a quo in Iudeam, Jordanemque infératur, & effundatur, vel
templum Hierosolymitanum exporrigatur ad quatuor mundi car-
dines. Prout hanc impossibilitatem egregie Celeberrimus
Wagenseilius describit in Tel. ign. Sat. in conf. Carminis R.
Lipmanni p. m. 545. seqv. Abrogatae similiter sunt leges
ceremoniales quoad formale, seu in quantum fuerunt typi
& umbræ. Nam sicut typus tollitur per antitypum, Umbra
evanescit corpus cum adeat: ita leges quoque ceremoniales
antiquatae sunt, quia Messias jam venit in mundum, & cor-
pus, quod est in Christo, aufert umbram legum ceremonia-
lium Col. II. 17. Leges de sacrificiis, per immolationem
Christi in cruce, de hirco emissario per eductionem Christi
ad crucem, de sanguinis aspersione & effusione, per sanguinem
Christi, de vacca rufa per mortem Christi in cruce &c.
abolita sunt Vid. Balduini passio Christi typica & in primis
epistola ad Hebreos. Quomodo leges forenses sint anti-
qvatae Theologi nostri egregii & perspicuis indicant distinc-
tionibus. Qvenstedius part. IV. System. c. 1. scđt. I. Thes.
LXX. ex Chemnitio distinguit inter leges forenses, quatenus
sunt legis naturalis & moralis explicaciones & determinatio-
nes & quatenus sunt constitutiones, particularem Judaicæ
Reipubl. statum spectantes; & dicit non priori sed posteriori
modo esse abrogatas quoad necessitatem & obligationem.
Fridlibius in sua Medullâ in loco de lege judiciali p. m. 205.

modum abrogationis proponit per distinctionem inter abrogationem quoad obligationem & modum circumstantiarum qvarundam circa certam determinationem poenarum , & inter abrogationem quoad æqvitatem & finem generalem, nimirum ut vigeat æqvitas & pax, Illò sensu non hoc abrogatae sunt.

§ XVII.

A modò antiquationis, pedem promovemus ad ejusdem tempus. Hoc indicatur Heb. IX. 10. quando ibidem dicitur ceremonias Leviticas ~~διατάσσεται στον ιερέα~~ instar gravis oneris Sacerdotibus & populo impositas, durasse μέχεται κατόπιν διωγγήσεως usque ad tempus correctionis. Dejicit, inquit Chrysost. in h. l. hic hostias ostendens, quia nullam habebant virtutem, & quia usq; ad tempus correctionis erant, h. e. tempus sustinebant corrigens omnia. Hoc tempus correctionis esse tempus N. T. dubio omni caret, unde Hunnius in Comment. in h. l. scribit: *Hec ita fuerant ordinata à DEō pro illō tempore, ubi nimirum Christus nondum carne manifestatus erat, sed adhuc istis figurarum adumbrationibus delineabatur: & durare debebant usque ad tempus correctionis, ubi figure antiquandae essent, substitutā rei veritate atq; substantia i. e. Christo exhibito, carne manifestato, passō & exaltatō.* Calvinus in c. IX. epist. ad Hebr. ex Jer. XXXI. cap. hoc desumptum esse effatum pronuntiat scribendo: *Cum dicit tempus correctionis alludit ad vaticinium Jeremie. Novum enim Testamentum Veteri instar correctionis successit.* Cornelius vero à Lapide in h. l. sic fatur: *Ubiq; hic pungit legem veterem Apostolus, tamq; infirmitatis & defectus arguit, ut illa Hebreis vilescat, atque non mirentur DEum legem à se datam sustulisse, utpote cum eam tantum usque ad tempus Christi stare & durare voluerit.* Et certè tempus N. T. est tempus correctionis, vel ut Estius addit, reificata-

dificationis, quia græca vox διέργωσε propriè significat re-dificationem, cum correctio græcis dicatur ἐπανέργωσις, vel directionis, quia juxta Bezan in Polo in h. l. διορθώσας merito dicantur, quæ recta ad scopum suum diriguntur, cum illa antea eodem quidem, sed sinuoso quodam ambitu tenderent. Nonne enim in N. T. corriguntur Scribae & Pharisei ob doctrinam & mores Matth. V. IX. & XXIII. &c. Nonne in N. T. homines rectificantur s. justificantur? Nonne vaticinia Prophetarum clarissime diriguntur ad Christum? Quia vero N. T. suam habet latitudinem & articulos temporis, queritur quoniam articulo temporis V. T. à DEo fuerit antiquatum num tempore & die nativitatis Christi de quo Paulus Gal. IV. 4. *Quando venit plenitudo temporis, emisit DEus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.* an vero tempore prædicationis Christi de quo Marcus c. l. i. ubi Evangelista conferre videtur initium Evangelii in annum illum, quo prædicare coeperunt Johannes & Christus. Unde ad h. l. Chrysostomus: *Initium Evangelii finis legis est.* Finitur lex & incipit Evangelium. Num tempore mortis Christi de quo Hebr. IX. 17. asseritur N. T. ratum fuisse morte testatoris intercedente, an vero in die Pentecostes, quo Spiritus S. super Apostolos visibiliter effusus & lex exivit ex Sion, Es. II. 3. in totum terrarum orbem Matth. XXIX. Estius in Comment in v. 10. Cap. IX. ad Hebr. antiquationem V. T. referre videtur in tempus Adventus Christi quando ibidem hæc facit verba: *Porro tempus correctionis Apostolo est tempus adventus Christi, qui vetera correcturus erat novis ac melioribus institutis, correcturus, inquam, vetera, non ut mala, sed ut imperfecta.* Nihil enim ad perfectum adduxit lex. Certe quæ ratione V. T. dicitur culpa seu reprehensione non vacasse: etiam instituta ejus corrigenda recte dicuntur i.e. mutanda in melius.

Si Estius hæc de initio antiquationis intellexit, bene se habent. Nam concedimus per Christi in mundum adventum ceremonias judaicas multum de fulgore suo amississe. Si vero de totali antiquatione loquitur, merito ab eo dissentimus, siquidem Christus ipse non tantum de adhuc futura antiquatione cum muliere Samaritana loquatur, inquiens : *Mulier credere mihi, veniet tempus quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem. Venit tempus & nunc est, cum veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate Joh. IV. 21. 23.* sed & ritu Judæorum vivere voluit, imo debuit. Oportuit eum circumcidiri, tum, ut signum & chartæterem Abrahamidarum acciperet, tum etiam, ut ad observationem legis firmius obligaretur: nam qui circumcidiebatur debitor erat totius legis Gal. V. 3. Legem ceremoniale necessario implere debuit. Nam quemadmodum respectu omnium absolute necessarium erat, ut Christus legem moralem impleret, ita etiam respectu Judæorum, necessarium erat ut ceremonialem observaret, ut tandem agnoscerent, non irritas fuissent & vanas ejus prædicandi methodos. Cum enim præcipue esset externæ observationis finis, ut eorum animi ad Christum attollerentur, in quovis vigor ejus atque efficacia unice consiliebat, profecto admodum erat necessarium tam hujus populi quam totius generis humani respectu, ne quis ejus apex absque adimplitione intercederet. Nec iam ex hac lege, quam ex morali deinceps demonstrari potest, eundem illum esse Christum, quem expectabant. Saltem si minus necessarium, attamen utile erat & idonum, ut dicit ipse Christus: *Debet nos implere omnem iustitiam legis ceremonialis* inquit Clariss. Lightfoot in Harmoniæ quatuor Evangelist. S. Tom. I. Opp. p. 339. Sic Pascha Judæorum Christus celebravit unde Joh. II. 13, dicitur quod Jesus propterea ascenderit Hierosolymam. Cui loco, laudatus Lightfoot, hanc addit observationis ergo notam:

notam: *Ascendit ideo legi ut pareret. In DEi conspectu sstant se masculi Exod. XXIII. 17. Dubi nihil est, quin singulis ante annis ad Pascha venerit Christus, adhuc privatus unicum licet ejus iter in mentione ponatur Luc. II.* Venit tunc hac sola de causa, ut Pascha celebraret, institutioq; illi obedientiam exhiberet: *hac similiter causa nunc venit --- Quanquam autem Servator noster exacte non observavit istius legis ceremonialis partes, que ad homines pertinebant privatos, particularesq; --- observavit tamen ritus illos, qui ad homines spectabant quatenus Ecclesia Israelitica fuere membra*, ibid. p. 415. Non verò tantum suò sed & aliorum exemplò Christus ostendere voluit leges Judæorum etiam ceremoniales per suum adventum non penitus esse abrogatas, propterea mandavit leproso ut se sacerdoti conspiciendum præberet & pro mundatione sacrificium à Mose injunctum offerret Luc. V. 14. Neque tempore passionis & mortis Christi suam ~~āmūn~~ antiquatio, de qua hic differimus, habuit. Rechè propterea de hoc temporis articulō, quoad nostram materiam, scribit Baldwinus in Comment. in cap. IX. epist. ad Hebr. *Post Christi ingressum in sancta sanctorum Synagogam Judæorum paulatim sepeliebatur. Jac. Cappellus, antiquationem nostram, refert ad tempus exaltationis Christi, verba versus 10. c. IX. Hebr. ad correctionis usq; tempus imposta sunt, hâc ratione interpretans: Hoc est ad illud tempus usq; quo Christus per Apostolos Ecclesiæ sua meliorem formam erat daturus. Sed tamen, neque Apostoli eò tempore, unò iœtu & cum impetu, totam ritualium legalium molem subruerunt, sed Judæos, dummodo præceptis IESu fidem præstarent, iisdem vivere, permiserunt. In illorum gratiam ipsem Paulus Timotheum circumcidit Act. XVI. 13. & sumptus erogavit in viñimas, quæ offerendæ erant pro iis, qui voto Nazareat⁹ se obstrinxerant Act. XXI. 24. Imò ipse Spiritus S. decretō Synodi Apostolicæ voluit, ut ad tempus absti-*

abstinerent ab iis, quæ sunt immolata simulacris & sangvine & suffocato Act. XV. 28. 29. quarum tamen rerum libertatem postmodum Paulus prædicavit 1. Cor. II X. 4. 8. & X. 25. 29. Hæc attendens Lutherus in Comment. in c. II. Epist. ad Galat. dicit: *Ego credo, si Judæi credentes Legem & circumcisionem obser- vassent eā conditionē, quā Apóstoli permittebant, quod adhuc staret Judaïsmus, quodq. totus mundus Judeorum ceremonias recipisset.* Quia vero urgebant legem & circumcisionem ad salutem necessariam & singebant ex ea cultum, hoc DEus ferre non potuit, ideo evertit templum, legem, cultum, Hierusalem. Hierosolyma itaq; urbe funditus everfa, Temploque à Romanis ex DEI decreto destruētō, Judæi ad Christianismum conversi, ex illâ ruinâ, intelligebant, DEum, istâ ratione, quâ haec tenus ab ipsorum Patribus veneratus fuit, ulterius venerari se noluisse. De libe- ritate itaq; Christianâ post excidium hoc sufficienter informati & confirmati, leges ceremoniales pro penitus abrogatis æsti- marunt. Hanc totalem Legum Mosaicarum antiquationem post excidium Urbis & Templi Hierosolymitani futuram, tacite in verbis nostris prædictissimis Apostolum, Polus ex aliorum Comment. explicationibus h̄oc modō proponit. *Quod anti- quatur, puta institutione DEi, quod vetus vere dicitur ac senescit, puta sui ipsius infirmate, prope vel in propinquuo est, ut deleatur, vel evanescat, vel corrumpatur, vel extingvatur, i. e. ad finem & interitum festinat, translata nimirum omni autoritate in secun- dum Testamentum.* Unde colligendum relinquit, prius Testamen- tum tandem debuiisse finiri, & finitum esse. Vel accedit ad interitum ac tandem interit. *Quod enim nunquam interit, id ne veterascit quidem, nec senescit.* Quare Angeli nunquam senes dicuntur. Oc- culite vaticinatur Templum & Rempubl. Judeorum brevi peritu- ram. Id evenit decemfere annis post scriptam hanc epistolam, Se- necetatem mors excipit. Disci hoc potuit tum ex Dan. IX. 22. tum-

ex

ex Luc XXI. 20. Non de jam abrogatō, sed demum abrogando V. T. in textu nostrō sermonem esse Gerhard. in Corñent. in eundem innuit: Argumentum, dicit, Apostoli tale est: Testamentum à DEo per Prophetam promissum est novum, ergo prius illud, cui opponitur est vetus. Quod autem vetus est, in dies magis magis veteras est, & ut in hominibus senescit. Quod autem veteras est aut senescit ad interitum & mortem properat; Ergo etiam prius illud Testamentum debuit finiri. Probe quoq; tempora humijs antiquationis distinxit B Danhawerus in Hodosophia Phænom. VI. p. 469. inquiens: Synagoga usque ad Christum vixit, Christo moriente mortua est, usq; ad excidium urbis honeste habita, cum ipfis urbis cineribus sepulta.

§. XIX.

Ultimō locō breviter & ea quæstio enodanda est, Cur V. T. à DEo antiquatum est? Nimirum non propterea, quasi leges in eō confignata, sint malæ & vitiosæ, prout Manichæi de Circumcisione blasphemarunt, quos summō cum studiō refutat Augustinus lib. VI. contra Faustum c. 2. & alibi. Si lex antiqua statuta fuisset à malō, nunquam ejus incrementa quesisset, nec correxisset ac restituisset illam, sed penitus explosisset --- Deinde si illa lex mala, si fuisset aliena, nequaquam illam veniens ipse Christus impleisset. Si etiam istud tantummodo attrahendi ad se Iudeos studio fecisset, non autem ut offendere cognatam esse illam legi nove, eiq; per omnia congruentem, quanam quæso ratione non etiam gentilium ritus, & legitima servavit, ut per hoc quoque gentes posset attrahere? Per quæ manifestissime undiq; relucescit, non ideo veterem legem desisse in Regnum inducere, quia mala sit, sed quia perfectiorum utiq; mandatorum tempus advenerit. Si vero ad comparationem legis nove, vetus imperfectior monstratur, ne hoc quidem illam malam esse evincit. Siquidem secundum hunc modum, idem istud etiam nova ipsa patietur. Nam & hujus scien-

tia, si futura comparetur, per exigua & imperfecta quedam particula est, que cum illa venerit, evanescatur. Cum autem, inquit Apostolus 1. Cor. XIII. venerit quod perfectum est, evanescatur quod ex parte est, quod vetus à novâ lege perpetua est scribit Chrysostomus Homil. XVI. in Matth. Cap. V. Neque propterea acsi à malo DEô profectæ, prout putant Marcionitæ & Encratitæ, qui, referente Clement. Alexand. Lib. III. Strom. statuerunt, legem de circumcisione fuisse alterius DEi. Chemnitius part. II. LL. Theol. c. 5. de abrog. Legis p.m. 17. observat, abrogationem hanc non esse institutam, acsi ceremonia Judæorum essent & pernicioſæ & mortiferæ Christianis, neq; eum in finem, ut lectio illius partis V. T. interdiceretur. Abrogata itaq; sunt Leges ceremoniales ob infirmitatem & inutilitatem. Abrogatio enim fit præcedentis mandati propter infirmitatem & inutilitatem ejus. Nihil enim consummavit lex. Superinductio vero melioris spei per quam appropinquamus DEo Heb. VII. 18. 19. Juxta Vatabli interpretationem de lege ceremoniarum adumbrantium Christum hic dicitur: *quod ad vitam aeternam consequendam & peccati remissionem non ita valde conferret. Nullum unquam ita absolutum reddidit, ut illum ad DEum perduceret.* Aperiebat vero viam ad autorem spei melioris Christum. Juxta Lud. Cappellum sensus hujus loci hic est: *Legem non eam vim habere, ut nos perficiat & consumet h. e. ad veræ sanctitatis & gloriae perfectionem plenamq; consummationem nos adducat.* Quomodo vero lex imbecillis & inutilis? non per se & simpliciter, sed respectu eō, qui vers. 19. indicatur, nimirum, qvia nullum hominem ad perfectionem adduxit. *Apostolus partim eo respicit, quod lex, et si per se sancta & perfecta sit, ac precipiat opera sancta, tamen præcipiendo non adfert vires ea faciendi, ac proinde nemo ex operibus legis posse justificari: partim vero & maxime omnium hoc loco, ad legem ceremonialem respectus habetur, siquidem*

dem refellit Apostolus opinionem Judeorum, quod sanguine tauro-
rum & hircorum peccata coram DEo fuerint expiatæ inquit Ger-
hardus Comment. in c. VII. Epist. ad Hebr. Huic adjungimus
Jacob. Cappellum inutilitatem & imbecillitatem legis ita de-
monstrantem: Erant h. c omnia virtutis nullius, nullius usus, si (1)
considererentur in se, sc̄orū à suō scopō sejuncta, quomodo considera-
ta fuerant à pleriq. nihil in hac œconomia speēc̄tibus preter corti-
cem & pompam. (2) In primis vero si sic considererentur (quod jam-
tum pleriq. Judei faciebant, & hodie faciunt omnes Judei) ut op-
ponantur & anteponantur Christo, & ita quidem, ut horum obten-
tu rejiciatur ipse Christus in quo solo vim suam & usum habebant.
Hoc modō prorsus sunt invalida prorsusq. inutilia, quin & onerant
non levant utentem. Sunt enim sigilla maledictionis, quam lex pro-
nuntiat in transgressores, nisi maledictionis illius amolitio queratur
in eo, quem figurant illitypi. (3) Si retineantur cum Christo qui-
dem, sed invito Christo. Nam qui beneficium oblatum à Christo re-
spuit, Christum ipsum respuit, inutilemq. sibi reddit Christi gratiam
& adventum, coque se rursus implicat nexui totius implenda legis
Gal. V. 2. 3. Antiquatum est V. T. propter suam obscuritatem.
In eo enim obscura quædam & typorum involucris tecta erat
cognitio Messiae. Obscuritatem hanc quoad doctrinā de Chri-
sto Apostolus 2. Cor. III. 13, monstat, inquiens: Moses impone-
bat velamen faciei suæ, ne oculos defigerent filii Israëlis ad finem-
eius, quod nunc ut inutile tollitur. Antiquare V. T. Deus vo-
luit, ut à collo fidelium, jugum servitutis, portatu difficillimū,
removeret. August. Serm. IX. de verbis Domini vocat sarcina-
nam innumerabilium observationum, quâ dura cervix Judeorum
premenda erat, ne ad idola & idololatras respicerent. Christus ergo
præcepta ceremonialia & judicialia abolevit, ut pro cunctis
laciniosæ legis ceremoniis daret verbum abbreviatum i. e.
brevissimum fidei & dilectionis præceptum ut loquitur Hie-

ron. in c. X. Esai. Certum est fideles V. T. desiderio & fame, melioris conditionis flagrasse Sic Christus dicit de Abraham, *gestivit videre diem meum* Joh. IIX. 56. de omnibus vero fidelibus idem perhibet Matt. XIII. 17. *Amen, amen dico vobis, multi Propheta & justi desiderarunt videre, quæ videtis, & non viderunt, & audire, quæ auditis, & non audiverunt.* Huic desiderio ut DEus satisfaceret, hancq; famem sedaret, acceleravit adventum JESu, & per eundem abolevit, quæ antea per leges ceremoniales & forenses erant traditæ. Abrogavit DEus V.T. ut vaticinia de ejus antiquatione adimplerentur, quia leges cere moniales & forenses ad certum tantum tempus ordinaverat & instituerat, Lex ceremonialis fuit paedagogus ad Christum. *Iam vero, quemadmodum Paedagogus praeficitur paucro, non in totam ejus etatem; sed tantum in annos pueritiae: sic lex hec finitam etatem sibi habuit prefixam, cui præcesset, eamq; imbecilliorēm sive rudiorēm, usq; ad exhibitionem Christi Servatoris.* Deinde: *Quemadmodum pedagogus discipulum informando, id unice spectat, ut ipsum rudimentis puerilibus propositis, magis magisque ad majora præparet: sic pars hec Legis Mosaicæ præparare ac promovere debuit populum Judaicum aliquo usq; duntaxat, donec superariis rudioribus elementis, progressus virili et ate dignos sub Christo demum facere posset.* Sic infert Hutter, in suis LL. Theol. p. m. 374. Leges quoq; forenses, non eo fine à DEo sunt promulgatae, ut omni tempore, omniq; populo inservirent, sed tantum, ut ad tempus usq; Messia, populum illum veterem ab aliis gentibus distingverent. Quare jam exhibito
Messia abrogandæ erant.

T A N T U M.


94 A 7348



V3-17

Fl. 52.

2418



DISPUTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS,
De
ANTIQUATIONE
VET. TEST.
Ex Heb. IIX. v. 13.
Quam,
DIVINO NUMINE ADJUVANTE,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO atq; EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,
DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,
REGNI PRUSSIÆ ET ELECTORATUS
BRANDENBURGICI HÆREDE, &c. &c. &c.
EX DECRETO VENERANDÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ,
SUB PRÆSIDIO
DOMINI
BERNHARDI *von* **SANDEN**,
S. Th. D. & Prof. Prim. Facult. Theol. Senior. & p. t. Decani, S. R. M. in
Prussiâ Concion. Aulic. Prim. & Consiliarii Confisit. Sambiens.
PRO GRADU DOCTORATUS
SUMMISQVE IN THEOLOGIA PRIVILEGIIS
ET HONORIBUS
ritè & legitimè conseqvendis
publico Eruditorum Examini subicit
M. HENRICUS SEDECERI
S. Theol. Prof. Extraord. design.
IN AUDITORIO MAXIMO,
Ad diem Januar. Horis ante- & pomerid. A. MDCCX.
REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.